DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ASTHMATE.

1185.g.16
18

QUAM,

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex Authoritate Magnifici Rectoris,

D. THEODORI RYCKII, J.U.D.

in Illuſtri Academiâ Lugduno-Batavâ Profeſſoris
Hiſtoriarum & Eloquentiæ,

NEC NON

*Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Almæ
Facultatis* MEDICÆ *decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privi-
legiis ritè ac legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

ISACUS GABAY HENRIQUEZ, Amſtel.-Bat.

Ad diem 19 Iunii, loco horiſque ſolitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER
Academiæ Typograph. MDCLXXXII.

Eruditiſſimo ſolertiſſimoque Viro

D. ABRAHAMO GABAY HENRIQUEZ, fratri amantiſſimo inter Amſtelodamenſes Mercatores ſpectatiſſimo, Patris inſtar, propter ſingularem in me affectum ſemper venerando.

NEC NON

Venerandis profundæ ac ſolidæ Doctrinæ Viris

D. ISACO OROBIO à CASTRO, Med. Doctor. olim Ducis de Medina Celi & Alcala archiatro, nec non in Inclyta Academia Toloſana Medicinæ Profeſſori, de ſtudiis meis bene merito ſummo honore proſequendo.

D. ARON BUENO, Med. Doct. viro ſpectatiſſimo in Amſtelodamenſium Republ. Practico feliciſſimo omni ad extremum vitæ halitum obſervantia colendo.

UT ET

Doctiſſimo omnimoda eruditione præſtantiſſimo Viro

D. DAVID PINA, Med. Doct. in inclyta Amſtelodamenſi Republ. Practico eximio, Præceptori meo ſolidiſſimo, atque ob innumera in me beneficia humaniſſimè collata, omni ſemper honore & amore proſequendo æviternumque ſuſpiciendo.

In perpetuum debitæ gratitudinis ac obſervantiæ ſignum theſes haſce inaugurales

Animitus offero

ISACUS GABAY HENRIQUEZ,

Auctor.

MUSEUM
BRITAN
NICUM

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

ASTHMATE.

THESIS I.

Quantum ad vitam facit ſanguinis in corde rarefactio, atque inde dependens ſpiritus & caloris generatio; tantundem etiam confert caloris ejuſdem per conſpiratum aërem ventilatio: quâ denegatâ, aut ex parte impeditâ, mox extinguitur, aut miſere affligitur homo; nihil hac de cauſa homini æque ad vitam neceſſarium, quam reſpiratio, quæ ut ritè & debitè fiat, requiritur, Pulmonum, Thoracis, Diaphragmatis, Muſculorumque Abdominis, nec non, viæ per quam aër ad pulmones tranſit, conſtitutio integra, aëris etiam reſpiratione atracti, puritas & temperies; quòd ſi corrumpatur, reſpirationem hanc moleſtiorem efficit; & quia cum difficilis eſt reſpiratio, ægris moleſtiam adfert, ideoque à Medicis auxilium petitur, iis conſiderandum, quomodo & à quibus cauſis interturbetur.

 II. Ut

I I.

Ut ergo bene & commodè fiat; via per quam aër tranſit, patens, & nullo modo affecta eſſe debet: Aſperæ enim arteriæ caput à tumore muſculorum id ambientium compreſſum, reſpirationem lædit, uti hoc in Anguinâ videmus. Os & nares vel in totum, vel ex parte obturata, eam tollunt, vel difficilem reddunt. Læditur etiam reſpiratio in inflammatione & vulnere Pulmonum, Diaphragmatis, Muſculorum, tum Thoracis, tum Abdominis. Aër quippe, ſi nimis craſſus, vel vaporibus tetris repletus fuerit, reſpiranti moleſtiam facit; ab aëre enim craſſo, multiſque vaporibus tetris, quales in cavernis quibuſdam excitari ſolent, ut & fumô ex carbonibus, aliiſve rebus excitatô, infecto, multos ſuffocatos fuiſſe, plurimæ teſtantur hiſtoriæ: idem ferè accidit, iis ob aërem nimis rarum, qui per ſumma montium cacumina iter faciunt, in quibus, aër nullis fere vaporibus repletus, invenitur, hi, inquam ubi ad illam altitudinem pervenerunt, manifeſtè reſpirationem lædi obſervant.

I I I.

At frequentius reſpirationis læſio ſit, ex pulmonibus, materiâ pituitoſâ viſcidâ, vel, flatu refertis, unde Dyſphnæa, Orthopnæa, & Aſthma, prout variè afficiuntur pulmones, nominatur hic affectus. Nos verò reliquis reſpirationis difficultatibus omiſſis, ultimam hanc ſpeciem Aſthma ſcilicet examinaturi ſumus, unde etiam definitur, læſa reſpiratio eâque magna, & frequens ferè, ut æger ſine anhelatione reſpirare nequeat, ſine febri, plerumque ab anguſtia bronchiorum pulmonis proveniens.

I V.

Difficili reſpirationi accedit ſibilus & ſtertor, qui non ſolum ab ægro percipitur, ſed etiam ab aſtantibus, longe quandoque remotis facile exaudiri poteſt: Poſtea vero ubi anguſtia major redditur. non ſolum in Thoracis muſculis motus auctus animadvertitur, verum adeo anxie, & tantâ vi reſpirant, ut humeri ſimul, eleventur, uti contingit iis qui in agone verſantur ita ut ſi ad eos in ſomnum prolapſos accedas, eorumque ſtatum ignores, ipſos ſtatim obituros credideris.

V.

Tuſſis etiam difficilis, ægroque valde moleſta, tandem his omnibus ſupervenit, qua nonnumquam multa phlegmata viſcida, quan-

quandoque etiam nihil ferè ob materiæ, vel tenacitatem, vel tenuitatem, excernunt; & non ſolum reſpiratio difficilis obſervatur, ſed ſuas præterea exacerbationes & paroxiſmos habet, in quibus ægri adeo anguntur, ut in periculo ſuffocationis, nonnunquam verſari videantur: quandoque etiam leviores ſunt, non multum incommodi ægris inferentes. Hi vero paroxyſmi non certam aliquam periodum ſervant, adeoque incerti ſunt, ut nullo modo, certum tempus, reditus eorum referri queant.

V I.

Ex his recenſitis, locum in Aſthmate affectum, pulmones eſſe non facile negabit, qui conſideraverit, tuſſim Aſthmaticis moleſtam, eamque in ſequentem pituitæ viſcidæ excretionem; tum ſibilum ex pectore prodeuntem: Pulmonum etiam affectum eſſe, diſtentio Thoracis, abſque ullo dolore, vel tumore, muſculorum Thoracis vel inter coſtalium, evidenter arguit: materiâ enim viſcidâ, vel flatibus, pulmonum ſubſtantia, aut ipſorum bronchia referta, liberam aëris inſpirationem impediunt. Quippe pulmones à materiâ alienâ diſtenti, ab aëre inſpiratione atracto, non diſtendi, vel admodum difficulter poſſunt; unde tunc liber ille aëris quaſi fluxus & refluxus impeditus, difficilem reſpirationem conducit. Hanc difficilem reſpirationem ſequitur ſibilus & ſtertor, ſi materia viſcida ipſis pulmonum bronchiis adherreat, eaque ferè obſtruat: Videmus enim aërem, quamdiu nullo modo impeditur ejus motus, quantumvis à ventô agitatum nullùm ſonitum producere, at ſimul ac aliquod obſtaculum occurrat, quo ejus motus impeditur, ſonitum excitari; idque etiam obſervamus ſi aër per parvam rimulam tranſmittatur, & aliquâ vi propallatur, ſibilum Aſthmaticorum ſimilem excitari; obſtructa enim pulmonum bronchia, anguſtiora redduntur, ſicque aëris motus impeditur, & per conſequens etiam ſibilus ille producitur.

V I I.

Aſthmaticis ergo cauſa proxima, anguſtia bronchiorum pulmonis, ab obſtructione, orta eſt, hanc autem pulmonum obſtructionem à pituitâ viſcidâ oriri, crebræ illæ, materiæ pituitoſæ excretiones, mali diuturnitas, medicamenta pituitam viſcidam incidentia, quibus aſſumtis, ægri levantur, tum & cauſæ externæ hunc affectum producentes, ſatis probant.

 VIII. Ma-

VIII.

Materia enim viſcida & ſimul aliquando acris à capite, ad fauces & pulmones defertur, eoſque infarcit, difficilemque reddit reſpirationem: & acrimoniâ ſuâ, tum aſperam arteriam, tum pulmones irritando, tuſſim inducit. Cum enim non continua ſit hæc reſpirationis difficultas, ſed per paroxyſmos recurrat (ut theſ. V. dictum) merito illorum recurſſum, à fluxione dependere cognoſcimus; hæc enim à capite fluxio cum continua non ſit, non mirum illam difficilem reſpirationem continuam non eſſe. Si aliquando enim difficultas reſpirandi eſt continua, Aſthma continuum à tuberculo ortum habet, & à compretione Dyſphnæa laborant, de quo nil nobis dicendum.

IX.

Cum hactenus nulla via adeo manifeſta fuerit, per quam à capite ad fauces, & ſic ad pulmones materia hæc viſcida deferatur, fortaſſe aliquis, de via ſolicitus erit; ei verò reſpondemus, vias, etiam ſi adhuc nondum adeo manifeſtæ ſint, tamen non deeſſe; hoc enim evincunt non ſolum odores, qui ad cerebrum deferuntur, idque ſi admodum potentes ſint, gravant & replent; ſed etiam fuligines à candelis in cubiculis nimis anguſtis accenſis, excitatæ, à quibus non ſolum caput gravatur, unde viam ad cerebrum eſſe concludi poſſet; ſed ſimul iterum per narium mucum, iiſdem infectum evacuantur, unde & à cerebro ad nares ſimulque ad fauces, viam eſſe, manifeſte concludi poteſt.

X.

Sed adhuc fortaſſe aliquis hoc præjudicio erit imbutus, nimirum, quia etſi è cerebro aliquid fluere concedatur, (nempe ad fauces) non inde ad pulmones delabi ſequitur, propter cartilaginoſam illam ſubſtantiam, quæ cartilago ſcuti formis dicitur, præcipue Epiglottis, quæ rimam tegit & claudit, ne ex cibo vel potu in tracheam aliquid incidat, ſed clauſa Epiglottide in Gulam abeant ut apud Anatomicos notum, adeoque tranſitum alicujus materiæ impedit. Sed facile dubitatio ſolvitur, ſi ad animum revocetur, nos continuo in his affectionibus & ſimilibus, varios præſcribere ſyrupos, ad ſedanda ſæviſſima reſpirationis ſymptomata, qui uſui nulli forent, ſi ad bronchia pervenire impoſſibile eſſet. At contra experientia continuo docet, phlegmata ſputave in Pleuritide colore aſſumpti ſyrupi eſſe variegata. Non

verò

verò adeo exacte clauditur, quin parum juxta latera ex potu deſcendere queat: Quando enim dicitur potum non tranſire in tracheam & pulmones de valde ſenſibili ejus parte intelligendum eſt; nam aliquid eo defferri certum exiſtimamus, unde in affectibus thoracis, eclegmata, & tabellas præſcribimus, in ore, reclinato capite, tenendas, donec liqueſcant, ut portio aliqua juxta trachæ parietes defluat.

X I.

Eſt enim hæc vulgata opinio, frequentiſſimè à cerebro, frigido & humido atque ſimilibus excrementis abundante, materiam pituitoſam ad Pulmones deſcendere atque ibi hærente Aſthma parere. Etenim ſi materia è cerebro deſcendens (ut verbis ipſius ſenert. utar) cauſa Aſthmatis eſſet, neceſſario catharrus Aſthma præcedere, tuſſimque adeſſe neceſſum foret; quod tamen non ſemper obſervatum.

X I I.

Quandoque etiam Aſthmaticos cachexiâ, ac pedum ædematoſo tumore laborare experimur. Quod ex crudo & male vitiato ſanguine provenire indubium eſt: qui continuo per Pulmones tranſeundo non poteſt, non (concurrente quandoque vitioſa eorum diſpoſitione) aliquid humoris pituitoſi deponere, atque adeo frequentiſſimè generari putamus, ab humoribus crudis circa Hepar, imo in univerſo venoſo genere collectis, & per venam Arterioſam in pulmones effuſis.

X I I I.

Quod etiam ex Aſthmate demortuorum ſectiones evincunt, ut pote quorum pulmonum parenchyma, ſæpè pituita repletum reperitur; certo exprimento ejus quod theſi præcedenti aſſeruimus.

X I V.

Cauſas quod attinet externas, quædam ad humoris pituitoſi generationem faciunt, ut aër pluvioſus, frigidus, & à ventis turbatus; cibus & potus eiſdem qualitatibus aut quantitate peccans, crapula, immodicus ſomnus, hinc aliæ humorem jam productum irritant & paroxyſmum excitant, ut idem aër, inſolatio, ac præcipuè animi & corporis motus, quo fit, ut non ſolum materia morbifica, in pulmonibus moveatur; verum etiam humores alibi hærentes, ſanguini miſceantur, & ad partem affectam propellantur.

 XV. Quod

X V.

Quod ad differentias Aſthmatis, vel eſt recens vel inveteratum, vel continuo, vel attinet Aſthma per intervalla, gravius aut levius affligens, vel hæreditarium &c.

X V I.

Signa hujus affectus facile innoteſcunt: laborantes enim (ſine febri aliqua manifeſta, reſpirandi difficultatis cauſâ ex propriis ſignis dignoſcendâ) crebram denſam & anheloſam reſpirationem edunt, ſi vero malum invaleſcat, erecto collo reſpirare coguntur.

X V I I.

Cum vero anguſtia iſta bronchiorum pulmonis, quæ proxima eſt Aſthmatis cauſa, à pluribus, ut dictum, cauſis, provenire poſſit, eas itidem deſcernere expedit. Si à craſſis humoribus, & iis quidem in pulmone collectis fiat Aſthma, ſenſim difficulter reſpirare incipit æger, atque difficultas ſpirandi continua. Si vero aliunde effluat materia, reſpiratio difficilis eodem modo continua non eſt, ſed per intervalla infeſtat vel exacerbatur, & quidem ſi materia à cerebro delapſa ſit catharri ſigna adſunt: quod ſi catharrus non adſit per venas à toti corpore materiam affluere indicio eſt. Ac tandem ſi humor ille craſſus obſtructionem efficiat in bronchiis pulmonis difficilis eſt reſpiratio, cum ſonitu & tuſſi; malum quando que pituitâ excretâ pathema hoc frequenter diminuitur, vel omnino ceſſat; ſi vero pituita ſeu crudus ſuccus, in venis & pulmonibus hæreat, nec ſonitus nec tuſſis excitantur, raroque aliquid excernitur, ac malum pertinacius & diutius hominem exercet.

X V I I I.

Quo fit, ut graviore & repentino utriuſque cauſæ impetu, æger promptè, nullo aëris ingreſſu loco, conceſſo, miſere ſuffocetur, proptereaque Aſthma inter acutos affectus (quantum vis propria natura cronicus) jure à celſo numeratur: Avicena ratione diſpoſitionis & materiæ longum, & curatu difficilem, ratione paroxyſmi, acutum & periculoſum eſſe teſtatur. Quo magis viarum anguſtia increverit, viriumque imbecilitas inſequatur, majus vitæ periculum impendet ut docet Gal. de loc. affect. Compertum eſt ut apud Senert. obſervare licet, nonnullos in platea ambulantes, hoc malo ſubito extinctos fuiſſe. Aſthma hæreditarium vix unquam curatur. Qui Giboſi, ex Aſthmate aut tuſſi, fiunt, ante puber-

puber-

pubertatem moriuntur cap. 46. Periculoſum valde eſt Aſthma in febri acuta, in qua reſpirationis uſus, pro ratione caloris increſcit, vireſque minuuntur & labaſcunt, ſputo, nimis ab eodem calore denſato & ad expuitionem ineptiori reddito.

X I X.

Sed quia non ſolum ſufficit Medico praxin exercenti, morbum cum cauſis eum producentibus ſolummodo cognoſcere, verum etiam, eundem tollere & ægros ab illa moleſtia liberare ſtudeat: ideo morbo & cauſis hactenus explicatis, breviter, curationem proponam, ſecundum indicationes; & cum malum hoc per paroxyſmos invadat, propio quid in ipſo paroxyſmo, deinde quid extra paroxyſmum agendum ſit, conſiderabimus.

X X.

In curatione tempore paroxyſmi obſervandum, ne æger ſuffocationis periculum incurrat (hoc enim maxime urget) ut collo & corpore erecto collocetur, denique ſi ſanguis abundet & vires ipſi conſtent commodè venæ ſectio inſtituitur; ſi autem adſint flatus, uſurpanda ſunt medicamenta eoſdem diſcutientia, carminantia dicta, ex ſeminibus præſertim petenda, & variis modis exhibenda.

X X I.

Interim omni ſtudio tentandum, humorem jam motum, è bronchiis per medicamenta expectorantia educere, qualia ſunt oximel ſimplex & ſcylliticum, ſyrupi ex radicibus & herbis pectoralibus. Externe etiam pectus oleis convenientibus, camomill. ſcilicet Lilior albor. amigdalar.; item ung. dialth. & ſimilibus inungi poteſt.

X X I I.

Si vero materia nimis tenuis ſit, ita ut vi tuſſis educi nequeat, ſed continuo ad pulmones iterum delabatur, (quod nonnumquam contigit, præcipue ubi ſpecie catharri à capite ad pulmones delabitur) ea incraſſanda, ut ſic commodius expectoretur, & tunc adhiberi poſſunt, gum. tragacanth. arabic. Hic etiam commodæ ſunt Pilulæ de Cynogloſa, ſtyrace, que ſimul conducunt ubi humorum acrimonia, tum ſalſa tum acida adeſt.

X X I I I.

Docet experientia aliquos magno cum ſucceſſu, ægris ſuis propinaſſe vomitorium; ita ut hoc ſolo remedio, paroxyſmus fuerit

ſolu-

ſolutus : quod tamen non temerè imitandum cenſemus ; niſi æger ſit ſatis validus & ad vomitum proclivis.

XXIV.

Ubi jam æger hiſce preſidiis à paroxyſmo liber erit, humori in pulmonibus, reliquoque corpore exiſtentium, alterationi & eductioni, atque ne generentur precautioni, ſtudendum eſt.

XXV.

Ne malum iterum de novo exacerbetur medicamenta, adhibenda ſunt, quæ materiam viſcidam in corpore abundantem præparent & ſimul educant ; præparantia quædam in paroxyſmi curatione propoſita ſunt, quæ etiam hic locum habent, magnæ etiam efficaciæ eſt decoctum Guaiaci, ſaſſafras, ſalſæ parilhæ cum pectoralibus paratum. Purgantia vero adhiberi poſſunt, ut ſunt Agaricus Turbit ex his varia medicamenta parata, partim pilulæ tum cochiæ, præcipue ſi ſimul caput afficiatur, vel à capite materia delabatur, Maſtichinæ, fœtidæ majores, de agarico partim trochiſci ut Troch. Alhandal. Vitandæ interim cauſæ externæ humores acriores reddentes. Atque interim ſedulo tenendum, tam in alterantium, quam in purgantium exhibitione, blande & lente procedendum eſſe ; utpote quod naturæ magis congruum.

XXVI.

Poſtremum obtineri poterit optima victus ratione ; cibus itaque ſit facilis coctionis, vinum tenue, imo quandoque ſpirituoſum & generoſum : animi & corporis motus vehementior vitetur, ſomnus ſit moderatus.

XXVII.

Plurima itaque medicamenta & illorum formulas non opus eſſe, hic addere, judicamus, quonia magnâ copiâ apud egregios Medicos inveniuntur, & ab uno quoque inde facile peti poſſunt.

COROLLARIA.

1. *Febris eſt remedium natura, adeoque potius perſicit quam lædit.* 2. *In omnibus ferè morbis (præſertim in hac regione) in principio purgatio potius celebranda, quam ſanguinis miſsio.* 3. *Sincope & animi deliquium non differunt niſi ratione magis & minus.* 4. *Eos miſerimè errare judicamus, qui in Dyſenteria à purgatione abſtinere malunt, ne majori impetu, materia ad locum affectum propellatur.*

FINIS.

IN LAUDEM

ISCHACI GABBAI ENRIQVEZ,

Juvenis omni eruditione juxta ac morum probitate admodum inſignis

Apollinea Doctoratus laurea decorandi.

Quis ſonus auditur lætus? ſtrepituſque tubarum
  Permixtus lituvis æthera celſa ferit?
Terra fremit plauſu, reſonant & plauſibus aſtra,
  Exultat plauſu femina virque ſimul.
En novus ingreditur, magna comitante caterva,
  Ad tuæ, Phœbe pater, limina dona ferens,
Myſtaque purpurea redimitur tempora vitta,
  Doctorum numerus creſcet & ipſe ſuo.
Aſpice quam pulchèr, gaudens vultuque ſereno
  Miles, Apollo, tuus pulpita docta ſubit!
Quam bene defendit Galeni dogmata, nec non
  Clara dedit Gray condita jura Senis!
Aſpice conſpicuum, magnis & honoribus auctum,
  Muneribuſque gravem, quæ, dat Apollo ſuis
Fallor, an agnoſco, vel ludor imagine falſa?
  Non ludor, nec me fallit imago viri.
Agnoſco vultus; ſunt nam mihi lumina nota,
  Lumina clara viri cognita ſæpe mihi.
Sunt Iſchace tui, hærent qui pectores vultus,
  Semper & hærebunt, dum mihi vita manet.
Lingua ſtupet: quid enim referam præonia laudis?
  Gratulor ipſe mihi, gratulor ipſe tibi.
Gratulor ipſe tibi doctoris nomen adepto,
  Lætitiaque tua gratulor ipſe mihi,

Auſpi-

Auſpicioque bono magna incrementa precamur,
Doctoris fælix ſit gradus ille tibi,
Sitque Henrice tibi fælix gradus ille decoris
Omnibus & celebris ſit medicina tua,
Sitque honor ille ingens toto celebratus in orbe
Proſper & illuſtris terque quaterque tibi.
Hæc que tui chari quondam ſunt vota magiſtri,
Vota tibi nitido pectore tracta ſuo.

Tibi addictiſſimus

B. D. S.